THESES
HISTORICO-CRITICÆ
EX APOSTOLORUM ACTIS
SELECTÆ

QUAS SUB AUSPICIIS

AMPLISSIMI PRÆSULIS

ALOYSII M.Æ GABRIEL
EPISCOPI VICETINI

DUCIS, MARCHIONIS, ET COMITIS &c. &c.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

HIERONYMUS GRIFFANTE

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRÆCEPTORE, ET ADJUTORE

HIERONYMO CEGANI

IN EODEM SEMINARIO HISTORIÆ SACRÆ LECTORE.

VICETIÆ MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BRIXIANI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Si juxta Apoſtolum Paulum Chriſtus Dei Virtus eſt, & Dei Sapientia, qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, ejuſque Sapientiam. Ignorantia Scripturarum, Ignorantia Chriſti eſt.

D. Hieronymus in *Iſaiam*.

Digitized by Google

X I X

THESES
HISTORICO-CRITICÆ
EX APOSTOLORUM ACTIS SELECTÆ.

* * *

I.

CUm Chriſtus, expleto jam reparationis humanæ officio, reportatoque de morte triumpho, ad Cœlos, unde deſcenderat, redeundi tempus advenisse videret, Apoſtolis, quos per quadraginta dierum ſpatium præſentia ſua ſæpe recreaverat, certisque argumentis Reſurrectionis ſuæ veritatem oſtenderat, ſe in conſpectum dedit, ſuprema ipſis, antequam abiret, mandata expoſiturus. Ac primo quidem præcepit, ut quæ ab ipſo audierant, quæque viderant, per univerſum terrarum orbem cunctis gentibus forti, conſtantique animo nunciarent [a]:

[a] Marci cap. 16. ver. 15.

Præcepit inſuper, ut opinionem illam de temporali Meſſiæ regno jamdiu ſibi inſitam e ſuis animis evellerent. Nimirum Meſſiæ regnum non temporale, ſed plane cœleſte eſse oſtendit, nec ipſum in terris, niſi in ſua Eccleſia, & in Fidelium mentibus per fidem, & charitatem regnaturum. Præcepit demum, ne Hieroſolymis diſcederent antequam *virtute ex alto induerentur* [*a*]; futurum enim erat, ut quam primum Spiritum Sanctum ad eos mitteret, indeque dubitationes omnes de medio tolleret, & nova luce eorumdem tenebras depelleret. Ex inde fauſta, ac felicia omnia precatus extra Hieroſolymam Bethaniam verſus eos adduxit, Oliveti montem conſcendit, ac non præpotenti ſolum Divinitatis virtute, ſed virtutibus etiam humanitati elargitis in Cœlum aſſumptus eſt (*b*).

II.

(*a*) Lucæ cap. 24. ver. 49.

(*b*) Pro certo habet Euſebius in vita Conſtantini lib. 3. cap. 41. Chriſtum ab ipſo montis vertice Cœlum conſcendiſſe; ibique ſacrorum pedum veſtigia impreſſa manſiſſe affirmant Sulpicius Severus lib. 2. cap. 8. Hiſt. Eccl. & S. Paulinus epiſt. 11. Eadem veſtigia ætate ſua inſtitutis in Judæam ſacris itineribus viſitari conſueviſſe tradit S. Auguſtinus in Joann. homil. 47. Eademque religio Sæculo VIII., Beda teſte, adhuc perſeverabat. Eo in loco Helena Conſtantini mater Templum erexit, ſed nunquam contegi & concamerari potuiſſe Euſebius eſt auctor,

II.

Cum Apoſtoli ex Oliveti monte, in quo peractum, conſummatumque magnum illud myſterium fuerat, Hieroſolymam rediiſſent (*a*), Petrus tanquam illius Collegii Princeps, ac memor dictum ſibi a Chriſto fuiſſe cum de futuro ſuo lapſu præmoneretur: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, partium ſuarum eſſe exiſtimavit, ut de ſubſtituendo ſucceſſore in locum Judæ, qui conſcientia infandi criminis exagitatus ſibi mortem conſciverat, cogitaret. In concionem igitur aſcendit, remque in oculis conſpectuque Fidelium, qui centum, & viginti aderant, expoſuit. Duo erant, qui inter cæteros in omni virtutum genere eminere videbantur, Joſeph cognomento Barſabas, & Matthias. Hos in medium omnes protulerunt. At, ne quid marte ſuo agerent, Deum precati ſunt, ut quem acceptiſſimum haberet, illum ſortium indicio deſignaret. Sortibus itaque ductis prima Matthiæ ſors exiit, qui propterea in Apoſtolorum numerum fuit cooptatus. S. Ambroſius (*b*) Apoſtolos ex ſolemni Synagogæ, ac Sacerdotii lega-

(*a*) Aberat mons ille Hieroſolymis circiter mille paſſus. Hoc enim extat iter, quod Judæis in Sabbato conficere licebat.

(*b*) Ne Apoſtoli, ait, electio a mandato Legis diſcrepare videretur.

legalis diſciplina ſortes adhibuiſſe cenſet. Alii [a] eam non ſortem proprie dictam, ſed ſignum aliquod e Cœlo datum exiſtimant. Ut ut ſe res habeat, nos Matthiæ exemplum ſortes in ſacris electionibus licitas eſſe minime probare aſſerimus. Siquidem hoc unicum, ac peculiare factum, quod plurima adjuncta circumſtant, quin licitum ſortium uſum ſuadeat, oſtendit potius privilegium fuiſſe ab ipſa Dei inſpiratione profectum, quod in exemplum adduci minime debet. Si enim ſortes in Sacris Epiſcoporum electionibus adhiberentur, procul dubio Deus tentaretur. Id enim uni Deo totum committeretur, quod ipſe humana pariter providentia, atque induſtria peragi jubet. Hinc Honorius III ad Lucani Capituli conſultationem reſcribens, perpetua prohibitione hujuſmodi ſortes damnavit, ejuſque ſententiam Eccleſia ſecuta eſt.

III.

Decem elapſis ab Aſcenſione diebus, cum omnes centum ſcilicet & viginti in cœnaculo adeſſent, Spiritus San-

(a) Pſeudo - Dionyſius Areopagita de Eccl. Hier. cap. 5., qui tamen non indicat quale fuerit ſignum illud, ſed ejus ſilentium ſupplentes interpretes, alii radium quemdam caput ipſius ſubito ferientem ſuſpicantur. Alii ſubito quodam fulgore ſcriptum ejus nomen emicuiſſe. Alii columbam capiti ipſius inſidentem, ac tandem alii prophetico Spiritu afflatum illico viſum credunt.

Digitized by Google

Sanctus tertia ab ortu Solis hora ignis ſpecie in eos delapſus eſt. Inter cætera dona, quibus cumulatiſſime repleti fuerunt, quod maxime emicuit, ac præſertim Judæos, & Gentiles in patrati prodigii admirationem adduxit, Linguarum donum fuit. Num ſinguli omnium nationum linguas calluerint, an patrio tantum, ac vernaculo ſermone uſi a variarum gentium populis intelligerentur, dubitatum eſt [a]. Nos Auguſtini [b], Hieronymi, Cyrilli aliorumque Patrum ſententiam ſecuti, omni linguarum genere Græcis græce, Latinis latine ſingulos locutos fuiſſe aſſerimus. Sane ipſa Scripturæ verba nullum de hac re dubitandi locum relinquere videntur. *Repleti ſunt omnes*, ait Lucas, *Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis*; & ut multo clarius eſt in Autographo Græco ἑτέραις γλώσσαις *alienis linguis*. Cæterum inficiari nolumus contingere ali-

 quando

[a] S. Joannis Chryſoſtomi ſententia fuit orat. 40. non alias Apoſtolos calluiſſe linguas, quam earum gentium, ad quas Evangelicæ fidei lucem erant illaturi: Imo hoc ipſum Divinæ voluntatis indicium fuiſſe, ut in eas regiones ſinguli proficiſcerentur, quarum linguæ intelligentiam Divino munere fuerant aſſecuti.

S. Gregorius Nazianzenus orat. 44. dubitavit, num Apoſtoli reipſa plures loquerentur linguas, an in eo tota prodigii ratio ſtaret, quod vernacule loquentium voces auribus audientium propriam ſingulorum linguam ſonarent.

[b] Auguſtinus tract. 93. in Joannem. Hieronymus Epiſt. 54. ad Marcellam.

Cyrillus Catecheſi 17.

quando potuiſſe, ut patria lingua ad variarum gentium populos pro concione loquentes, ab omnibus, qui non ejuſdem linguæ ſocietate conjungebantur, plane intelligerentur (*a*).

IV.

Spiritum Sanctum ipſa Pentecoſtes die in Apoſtolos delapſum fuiſſe nemo eſt, qui ignoret. Verum quia duplex diſtinguitur Pentecoſtes, altera quæ a Judæis poſt quinquaginta ab immolatione agni paſchalis dies in memoriam datæ a Deo Legis in monte Sinai agebatur (*b*); altera quæ a Chriſtianis quinquaginta pariter diebus poſt Chriſti Reſurrectionem celebrari conſuevit; idcirco dubium inter Scriptores eſt, utram Lucas intellexerit. Si enim primam, voluit ſignificare Spiritum Sanctum die Sabbati, ſi alteram, Dominica die illapſum fuiſſe neceſſe eſt. Nos,

quamvis

(*a*) Divinum hoc linguarum donum diu in Eccleſia perſeveravit. S. Irenæus, qui obiit anno Chriſti 202. lib. 5. cap. 6. *Perfectos* dicit Apoſtolos eos, qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum & ipſe loquebatur. Quemadmodum & multos audivimus fratres in Eccleſia prophetica habentes Chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes.

(*b*) Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alterum diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt quinquaginta dies. Levitici 23. A die XVI. Niſan, quæ ſecunda erat Paſchalis, numerabantur dies quinquaginta uſque ad Feſtum Pentecoſtes.

quamvis nonnulli aliter ſentiant (a), Judaicam intellexiſſe putamus. Quonam enim pacto fieri potuit, ut Chriſtianam Pentecoſtem ſignificare Lucas voluerit, ſi nondum ea tunc inſtituta erat, nec duplex illa diſtinctio jam invaluerat? Profecto ignoto plane ſermone uſus fuiſſet, ſi feſtos Chriſtianorum dies pro Judaicis induxiſſet. Præterea in dubium revocari nullo modo poteſt, Apoſtolos pro conſueto aliarum Solemnitatum more Pentecoſtem eo anno a primis Veſperis celebrare cœpiſſe. At quomodo Chriſtianam agere tunc poterant, ſi ſub horam tantum diei tertiam Spiritus Sanctus in eos illapſus eſt? Nonne myſterium celebrare cœpiſſent quo necdum tempore peractum erat, nec illius celebrandi cauſa aderat? Conſtat enim Chriſtianam Pentecoſtem ad hoc inſtitutam ſubinde fuiſſe, ut memoria illius Spiritus Sancti illapſus peragеretur.

V.

Judæi, qui Hieroſolymam undique convenerant (omnes enim ſolemni Pentecoſtes die, quemadmodum duabus aliis Paſchæ ſcilicet, & Tabernaculorum ſe coram Deo in

(a) S. Leo. S. Auguſtinus ſerm. 154. de tempore, Cardinalis Baronius, Cornelius a Lapide.

72

in Templo ſiſtere jubebantur [a] , cum Apoſtolos Spiritu Sancto afflatos variis derepente linguis loquentes audiſſent, alii quidem miraculo rei obſtupuerunt , alii tanquam ebrios eos traduxerunt. Tunc Petrus & ſui, & ſociorum cauſam agens converſo in hos ſermone oſtendit, fieri nullo modo potuiſſe, ut ipſi vino incalle-rent, cum tertia jam diei hora eſſet, [feſtis enim diebus nonniſi meridie cibus ſumebatur, & tertia hora precibus, non cibo erat deſtinata] ſed Deum fidem illam, quam olim per Joelem (b) dederat, miſſurum ſe nempe ſpiritum ſuum ſuper omnem carnem, nunc exſolviſſe. Tanto deinde animi ardore, tantaque vi tum de Chriſti Divinitate, tum de ejus Reſurrectione, atque Aſcenſione verba fecit, ut tria circiter hominum millia ſtatim ad Chriſtianæ Fidei veritatem perduxerit. Omnes Petrum videre, Petrum omnes ſectari cupiebant. Ipſi etiam ſæva vi morbi languentes per Urbis vias exponebantur, ut illo tranſeunte, ſaltem ejus umbra tacti in

priſtinam

(a) Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit: in ſolemnitate Azimorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum. Deuter. cap. 16. ver. 16.

(b) Et erit poſt hæc: Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Cap. 2. ver. 28.

Digitized by Google

priſtinam valetudinem reſtituerentur. Et quod ad miram hanc ægros ſanandi vim ſola corporis umbra attinet, Arator, & Aſterius [a] uni tantum Petro conceſſam fuiſſe aſſeruerunt. At nos Auguſtini, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Ambroſii (b), aliorumque, qui hanc omnium Apoſtolorum umbris tribuunt, opinionem ſequimur. *Hanc prærogativam* (ait Ambroſius) *doni virentis acceperunt & Apoſtoli, quorum nec folium umquam potuit elabi; ut eorum etiam umbra ſanaret ægrotos*.

VI.

Eccleſia mirum in modum propagabatur, altaſque in dies radices agebat. Fideles tunc temporis procul ab omni divitiarum cupiditate, procul ab omni dominandi ſollicitudine vitam degebant. Paternis, avitisque bonis ſponte ſe quiſque abdicabat, domeſticaſque opes ad Apoſtolorum pedes deferebat, ut ad unius Charitatis leges, pro ſingulorum neceſſitate, ipſas moderarentur. Non de opibus, ſed de virtute alter cum altero contendebat, & quo majori in alios beneficentia præſtabat, eo clarior habe-

[a] Arator lib. 1. cap. 12. Aſterius homil. 8.

(b) Auguſtinus hom. 44. in Joannem. Chryſoſt. homil. 6. in Epiſt. ad Corinthios. Cyrillus Alexand. in Julianum. Ambroſius Hexam. lib. 3. cap. 17.

habebatur. Sua quiſque ſorte erat contentus, ac triſtia illa *meum*, *&* *tuum* ab illis exulabant. Felicia vere tempora, atque utinam hiſce noſtris Fideles iiſdem virtutibus præditi eſſent, eodemque Charitatis vinculo copularentur! In tanta animorum conſenſione Ananias, Saffiraque uxor cum paternum agrum vendidiſſent, clam pretii partem ſibi retinuerunt, partem vero Petro obtulerunt. Apoſtolus fraude divinitus perſpecta illos mendacii in Spiritum Sanctum arguit. Nondum ſuſceptam objurgationem repreſſerat cum protinus toto corpore contremiſcentes, exanimes corruerunt [*a*]. Atque hic de æterna eorum ſalute inter Patres diſſidium eſt. Alii enim pœnam hanc non ad æternum ſupplicium, ſed ad peccati expiationem a Deo illatam fuiſse [*b*]; alii eos in ſuo crimine mortem obiiſse putant(*c*). Nos opinionem hanc probabiliorem exiſtimamus. Sane Ananias, & Saffira magnum crimen patrarunt; *mentiti enim ſunt Spiritui Sancto*, *mentiti ſunt non hominibus*, *ſed Deo*. Nullum præterea illorum doloris, & pœnitentiæ argumentum ſe prodit;

(*a*) Porphirius Petrum accuſabat ſævitiæ quod illorum necem a Deo precibus impetraſſet, ut tradit S. Hierony. ad Hedib. at hæc viri impii calumnia eſt. Neque enim id rogaſſe Apoſtolum legimus. S. Gregorius Magnus Dialog. c. 30, vi Apoſtolicorum verborum id totum tribuit.

(*b*) Origines in Matth., Hieronymus epiſt. ad Demetriam.

[*c*] Chryſoſtomus in Acta, Baſilius ſerm. de Inſtit. Monach.

prodit; nullum inter commiſsum crimen, & pœnam interceſſit ſpatium; nullum inter Petri increpationem, & utriuſque interitum. Ad hæc notum eſt quid Deus inflixerit in miſerum illum, qui omnium primus Sabbati religionem violavit; explorata eſt ejus animadverſio in primum ex hæbreis Regibus, primoſque e Sacerdotibus, qui profano, & communi igne thura incendere auſi fuerunt.

VII.

Ut Evangelicæ prædicationi, quæ maximi momenti res erat operam navarent Apoſtoli, ac ne animum in plura diſtraherent, omnem annonæ diſtribuendæ curam Fidelibus quibuſdam ex Judæis demandaverant. Optimum ſane conſilium. At cum Judæorum plures ex iis, qui Græcam tantum linguam callebant, ſeſe illis conjunxiſſent, reſque ſuas in medium contuliſſent, magnum inter eoſdem ortum diſſidium eſt. Horum enim Viduæ queri ſtatim cœperunt, quod & viliſſima quæquæ illis peragenda imponerentur, quodque ipſis parcius, quam aliis Hebræis eleemoſinæ erogarentur. Controverſiæ hæc occaſionem Apoſtolis dederunt ſeptem Diaconos eligendi [*a*]. Horum electio facta eſt, populo fideli teſtimo-

(*a*) Hi fuerunt Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmena, & Nicolaus.

monium de eorum ſanctitate perhibente. Et merito quidem. Nam non communibus tantum, & profanis menſis (*a*), ſed etiam ſacris, in quibus divinus panis frangebatur, ideſt Chriſti Corpus ab Apoſtolis conſacratum Fidelibus dividebatur, juxta illud Pauli: *Panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini eſt?* miniſtrare debebant. Hinc perpetua Eccleſiæ traditione ſervatum ſemper fuit, ut Diaconi in ſacra Hierarchia a Chriſto inſtituta enumerarentur, atque poſtremis temporibus a Tridentina Synodo ita ſancitum (*b*): *Si quis dixerit in Eccleſia non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Præsbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.*

VIII.

Quamquam Nicolaus, cum in ſeptem Diaconorum numerum relatus fuit, inter illius temporis Fideles pietatis amore, fide, probitate excelleret, tamen poſtea eam infamiæ notam ſubivit, quæ ſatis purgari nunquam potuit. Erat Nicolao, ut tradit S. Epiphanius (*c*), eximia

(*a*) S. Joannes Chryſoſt., Hieronymus, Beda aliique cenſuerunt ſeptem illos Diaconos miniſteriis tantummodo menſæ deſtinatos fuiſſe, ac longe diverſos fuiſſe a Diaconis aræ ſervitiis addictis, qui alteram a Sacerdotibus claſſem in Hierarchia tenent.

[*b*] Seſſ. 23. can. 6.

(*c*) Hæreſi 25. §. 1.

eximia pulchritudine uxor. Hanc, illorum Fidelium exemplum imitatus, qui ſanctiori diſciplinæ ſe addicebant, ultro abs ſe dimiſit. At cum in propoſito, ſuſceptoque conſilio amplius permanere noluiſſet, inconſtantiæ hujus, & incontinentiæ cauſas prætexere ſtuduit. Revocavit igitur uxorem, nec diu abſuit, quin in mala longe graviora ruens auctorem ſe præberet Sectæ Nicolaitarum. Hæc Epiphanius, quem ſecuti ſunt (*a*) Hilarius, Hieronymus, aliique. Verum S. Clemens Alexandrinus [*b*] rem aliter narrat, ac virum frugi, & continentiſſimum fuiſſe tradit, eamque duntaxat ob rem Nicolaitas a tanto viro nomen ſumpſiſſe, ut in ejus auctoritate delitefcentes flagitia quælibet facilius cohoneſtarent. Nos Clementis ſententiam potius ſequimur. Hic enim & multo ante Epiphanium floruit, & a Nicolai temporibus parum abſuit; quare ab ejuſdem Nicolai amicis, aut diſcipulis fa-

(*a*) Hilarius can. 25. in Matthęum. Hieronymus Epiſt. 1.

(*b*) Lib. 3. Strom. pag. 456. cum ab Apoſtolis, inquit, ei exprobrata fuiſſet uxoris ſuæ Zelotypia, in omnium conſpectum eamdem produxit, poteſtatemque fecit, ut cui vellet nuberet. Incaute quidem hoc ille egit, nihil tamen innuere intendit, quam experimento oſtendere ſe uxorem ſuam minime deperire, ſed tantum modeſte diligere. Profecto ego audivi, eum nunquam alia muliere uſum, & ex ejus liberis filias quidem conſenuiſſe Virgines, filium vero permanſiſſe incorruptum.

Clementi adhærent Theodoretus hæret. Fabul. lib. 3. cap. 1. Auguſtinus de hæreſ. cap. 5. Victorinus Pictavienſis tom. 1. bibl. PP. S. Iſidorus, & Concilium Turonenſe,

facile diſcere potuit, num ab illo vere profecta fuerit ea hæreſis. Neque ſane veriſimile eſt eum, quem Scriptura inter *viros boni teſt.monii*, *Spiritu Sancto*, *& Sapientia plenos* annumerat, & quem nullibi damnat, aut perſtringit, nefariæ hæreſeos auctorem fuiſſe. Cæterum etiamſi in errorem non inciderit Nicolaus, eumdem tamen erroris occaſionem, licet præter voluntatem, præbuiſſe exiſtimamus.

IX.

Cum Eccleſia ſedatis jam Judæorum, ac Helleniſtarum diſſidiis tranquilla pace frueretur, ſtatim ad eam perturbandam hoſtium furor erupit. Confluebant Hieroſolymam vel ex remotiſſimis regionibus Hæbrei adoleſcentes, ut litteris imbuerentur, ac de Divina lege edocerentur. Erecta namque ad id opus, ut Joſephus de Antiquitate ſcribit, gymnaſia, & Academiæ erant. Hi cum Stephanum Spiritus Sancti vi plurimum pollentem diſceptando ſuperare conati eſſent, ac res aliter, ut ipſi putabant, eveniſſet, ira incitati nullum non moverunt lapidem, ut illum de medio tollerent. Ac primum innocentiſſimum Juvenem falſis teſtibus, & criminibus circumvenire agreſſi ſunt. Captum deinde ad Sanhedrium traduxerunt, ac de violata lege accuſarunt. Ille objecta in ſe crimina non ſolum ſtrenue diluit, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam in eorum pervicatiam, & incredulitatem, qui peſſima Majorum exempla ſecuti, Prophetas primum, deinde ipſum Chriſtum interfecerant, acriter invectus eſt. Interim elatis in Cœlum oculis, en, ait, Cœlos apertos, & Filium hominis ad dexteram Dei ſtantem intueor. His auditis, una impetu facto extra urbem traxerunt, ac in eum certatim ſaxa conjecerunt [a]. Jamque ſaxorum [b] crepitantium procella prope demerſus, pro iis ipſis, qui mortem incutiebant, a Deo veniam impetrabat. Defunctum corpus Religioſi quidam viri curantes luctu, & lacrimis viro fortiſſimo parentarunt. De die, qua mortem ſubiit, controverſia eſt. Nos iis aſsentimur, qui VII. Kal. Januarii ad Cœlos evolaſse tradunt. Nulla enim alia videtur eſse cauſa, cur jam inde a quarto, & quinto ſæculo, ut ex Auguſtino, aliiſque colligitur, poſtridie Natalem Chriſti diem Stephani martyrium Eccleſia celebraverit.

B X.

(a) Lapidum ſupplicium in reos blaſphemiæ decretum erat Levitici cap. 24. Qui blaſphemantem audiebant, impoſita capiti illius manu, profitebantur, ſanguinem, necemque ejus in caput illius converſum iri, quod Dei nomen blaſphemia proſcidiſſet; tum iidem teſtes omnium primi lapides in illum conjiciebant, ac populus omnis, qui aderat eorum exemplum ſequebatur. *Manus teſtium primæ interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur*. Deuteronomii cap. 17. ver. 7

(b) Unum ex his lapidibus a quopiam Chriſtianorum collectum in Italiam poſtea fuiſſe tranſlatum, & Anconæ repoſitum docet Baronius ad an. 34. §. 305. ex D. Auguſtino ſerm. 323.

X.

Stephani morte nedum Judæorum furor expletus fuit, verum etiam exarſit magis. Inito enim conſilio omnes Chriſti diſcipulos diſperdere, eorumque nomen penitus delere ſtatuerunt. Saulus de Tribu Beniamin Tharſis natus (*a*), ſed Romana donatus Civitate, omnium primus fuit, qui nefarium illud, ſceleſtumque opus aggrederetur. Jamque illum cerneres immani concitum ira huc atque illuc magna cum caterva per urbem concurſare, nunc domos pervadere, nunc abdita quæque loca perluſtrare, quos forte obvios habet, ſtatim in illos impetum facere, catenis devincire [*b*], in carcerem conjicere, nullumque calamitatis, contumeliæque genus in illos non edere. Hoſtili ſæviente furore ſoli Apoſtoli, cum nonniſi eorum cauſa ea deſæviſſet tempeſtas, impavidi Hieroſolymis perſtiterunt. Cæteri Fideles, maximo timore perculſi, cum jam eodem loco manere, omnemque adverſariorum impetum

(*a*) S. Hieronymo tum de Script. Eccl. in Pauli vita pag. 269. tum in cap. 1. Epiſt. ad Philemonem ſcribenti Saulum Giſcalæ natum, memoria effluiſſe neceſſario dicendum eſt.

(*b*) Act. cap. 26. Multos Sanctorum ego carceribus incluſi a Principibus Sacerdotum poteſtate accepta, & cum occiderentur detuli ſententiam.

impetum ſuſtinere auſi non eſſent, clam ex urbe ſe ſubduxerunt, ac in finitimis Samariæ, ac Judææ regionibus partim ſe receperunt, partim vero Paleſtinæ fines egreſſi longinqua terrarum ſpatia peragrarunt. Hos fuiſſe putamus, ad quos Petrus aliquot poſt annos priorem ſuam Epiſtolam dedit. Neque enim Apoſtolus diſperſionem aliam, quam quæ poſt Stephani necem facta eſt, potuit intelligere; quandoquidem Judæi, cum nequaquam Paleſtinæ terminis continerentur, ſed longe, lateque in Aſia, Africa, & Europa, in cunctis fere Provinciis Romano ſubjectis imperio habitarent, cumque ab antiquis uſque temporibus eo ſponte migraſſent, idcirco nunquam vel a Philone, aut Joſepho, vel aliis, qui res Judaicas perſecuti ſunt, diſperſi, aut ex diſperſione collecti, ſed coloni, & indigenæ dicuntur.

XI.

Philippus [a] cum Samariam ſe recepiſſet, totus ſtatim in eo fuit, ut Samaritanorum mentes maximis errorum, & inſcientiæ tenebris circumfuſas Evangelicæ Fidei luce illuſtraret. Sic enim ſperabat fore, ut magnum illud damnum naſcenti Eccleſiæ nuper illatum aliqua ex parte compenſaret. Nec ſpes illum fefellit.

(a) Philippus Diaconus, non Philippus Apoſtolus, quemadmodum perperam creditum a nonnullis antiquorum;

Digitized by Google

Nam brevi admodum tempore maxima illorum pars ex vitiorum cæno, ac ſordibus, quibus involvebatur, tandem aliquando emerſit, Chriſtianamque Religionem amplexa eſt. Lætus, ovanſque tanto triumpho Philippus immortales Deo gratias egit, omneſque ſacris baptiſmatis aquis perluit. Harum rerum fama Hieroſolymam ad Apoſtolos perlata Petrum & Joannem eo mittere decreverunt, ut baptiſmatis fonte renatis manuum impoſitione Spiritum Sanctum conferrent. Neque enim ille, utpote Diaconus, id præſtare poterat, quod erat ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus demandatum [a]. Nos hinc ſolos Epiſcopos, qui Apoſtolorum loco ſucceſſerunt Sacramenti hujus conficiendi ordinariam poteſtatem habere colligimus [b].

XII.

[a] S. Joannes Chryſoſt. homil. 18. Epiphanius hæreſi 21. Iſidorus Peluſ. lib. 1. pag. 450.

(b) Cum adhuc Samariæ, uti creditur, verſaretur Philippus, ab Angelo admonitus fuit, ut obviam iret Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, qui poſt impenſum vero Deo Hieroſolymis cultum in patriam curru vectus remeabat. Philippus ſtatim mandata conficiens illum Iſaiam Prophetam legentem invenit, explicavitque, quem legebat Prophetæ locum, *Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum*. Hic autem, ut ait Tertullianus de baptiſ. cap. 4. *oſtendit ei Jeſum, qui clauſus latebat in littera; credentemque inter vias fortuita aqua tinxit*. Eunucho vix dum baptizato Spiritus Philippum rapuit, qui in Azoto inventus eſt.

Philippum hunc Tralliensem Eccleſiam in Aſia fundaſſe, ibique poſt plura edita prodigia in pace occubuiſſe Græci recentiores tradunt. Apud Latinos vero Uſuardum nempe & Adonem ad diem VI. Junii

Cæſa-

XII.

Erat Samariæ tunc temporis vir quidam nomine Simon, qui Magicis artibus, præſtigiiſque plurimum pollebat, quique ex iis tantum ſibi nomen, tantamque auctoritatem comparaverat, ut *Virtus Dei magna* [*a*] paſſim ab omnibus haberetur. Hic, cum prodigia, quæ a Philippo mirum in modum quotidie patrabantur, vidiſſet, eaque æquo animo ferre nullo modo potuiſſet, ratus futurum, ut artem illam [id enim totum magicis præſtigiis tribuebat [*b*]] tandem aſſequeretur, & Philippo aſſentiri, & Chriſto credere ſimulavit [*c*], unaque cum cæteris baptiſmate initiari flagitavit. Interim Petrus & Joannes cum Samariam deveniſſent, manuum impoſitione Spiritum Sanctum conferebant. Eo repleti Fideles & ventura prædicebant, & mira patrabant, & variis repente linguis loquebantur. Rei miraculo obſtupefactus Simon ſtatim Apoſtolos adiit, ac pretio oblato, ut ſibi eam trade-

Cæſareæ obiiſſe, ibique trium filiarum ipſius una cum patre corpora condita fuiſſe legimus. Hujus feſtum apud Græcos die 11. Octobris, apud Latinos die VI. Junii recolitur.

[*a*] Ideſt Pater ſuper omnia editus juxta S. Irenæum lib. 1. cap. 2. Juſtinum Apolog. At S. Epiphanius Hierony. Auguſt. per illa verba Meſſiam intelligunt.

(*b*) Chyſoſtomus homil. 18. in Acta.

[*c*] Irenæus adverſus hæreſ. Euſebius hiſt. Eccl. lib. 2. Auguſtinus tract. in Joan. Hieronymus in Ezech. Ambroſius lib. 2. pœnit. Cyrillus Hieroſoly. Cathech. 3., ita & alii plures.

184

traderent poteſtatem enixe poſtulavit. At Petrus impium, ſceleſtumque hominem vehementer increpando, ſacrilegam tandem coercuit audaciam. Neque tamen adeo coercuit, ut non revixerit facinus diris ſemper ab Eccleſia pœnis exagitatum, nunquam ſatis averruncatum. Cum rei, quam vehementer optabat, ſpe cecidiſſet Simon, ira incenſus (*a*) Samariam deſeruit, aliaſque regiones peragravit. Tandem Claudio imperante Romam venit. Ibi Senatum, Populumque Romanum in tantam ſui admirationem pertraxit, ut in ejus honorem, ſi Juſtino, Irenæo, Tertulliano aliiſque credimus, ſtatuam in Inſula Tyberin a hac adjecta Epigraphe *Simoni Deo Sancto* decreverint. Non ignoramus plures Criticos hujus hiſtoriæ veritatem in dubium revocaſſe, ac in eam opinionem deſcendiſſe, ut putarent Statuam quandam *Semoni Sanco* Ethnicorum numini erectam fucum S. Juſtino feciſſe [*b*]. At nos Juſtini, aliorumque Patrum ſententiam amplectimur. Quo enim pacto Juſtinus vir judicio, ingenioque gravis, Ethnicæ Religionis peritiſſi-

lo

(*a*) Apoſtoli monitu nedum profecit Simon, verum etiam magis magiſque in nequitia cor obfirmavit. Impenſius enim Magiæ ſtudia coluit, omnique niſu Evangelii incrementis obſtitit.

(*b*) Hujus conjecturæ cauſa fuit inventa in Inſula Tyberina ſtatua non diſſimilis Epigraphes:

SEMONI SANCO.
DEO. FIDIO.
SACRUM.
SEX. POMPEJUS. SP. F.
COL. MUTIANUS
DONUM DEDIT.

Digitized by Google

mus, qui Romæ ſcripſit, qui rem illam ſupplici libello coram Imperatore, & Senatu exhibendo inſeruit, in his decipi potuit? Cur lectionem hanc, ut Critici illi putant, erroneam ſervarunt Irenæus, Tertullianus, Euſebius viri omnium in Eccleſia ætate ſinguli ſua ſapientiſſimi? An Tertullianus, Irenæus quis eſſet *Semo Sancus* vel ignorabant, vel ignorare poterant? vel ſaltem ſoli inter homines Chriſtiani non viderunt erectum Romæ ſimulacrum *Simoni* ne, an *Simoni* dicaretur [*a*]?

XIII.

Diſperſi Fideles jam ſe plane in tuto eſſe, ac ex tam turbido die ſerenam tandem, tranquillamque lucem rediiſſe, ſibi in animum inducebant. Sed aliter ſe res habuit. Poſtquam enim reſcivit Saulus magnam illorum partem in Syriam ſe recepiſſe majori quo antea furore percitus, illos adhuc perſequi cogitavit. Caipham Summum Sacerdotem, cæteroſque Magni Sanhedrii Principes adiit, litteras ad Judæos, qui Damaſci morabantur

(*a*) Nerone regnante cum in ſublimem aerem occulto Dæmonum miniſterio delatus volitaret, Petrus & Paulus orationum ſuarum vi, malis ſpiritibus depulſis, effecere, ut vir impius pondere ſuo in terram delapſus, cruribus confringeretur. Deinde dolore ſimul, & deſperatione e ſublimi conclavi præcipitem ſe dejiciens, ſibi necem intulit.

tur, impetravit [*a*], ex urbe exiit, ac in Syriam profectus eſt. Jamque Damaſcum appropinquabat, cum repente quædam lux ipſa Solis luce clarior ſub meridiem Cœlo demiſſa, ita ejus oculos perſtrinxit, ut humi ſtatim procubuerit, divinaque illa voce perculſus fuerit: *Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Rei miraculo obſtupefactus Saulus, quin imo perterrefactus, ſtatim animum, mentemque mutavit. Maximum hoc fuit Divinæ gratiæ miraculum [*b*] ac omnium, quæ in Scriptura leguntur, celeberrimum. Solet enim plerumque Gratia magnum converſionis opus a metu exordiri, deinde illuminat, &

(*a*) Hieroſolymitanum Sanhedrium ampliſſimam obtinebat poteſtatem in omnes etiam extra Judæam Synagogas. Et quamvis Judæi jus in vitam, & necem nullibi tunc obtinerent, magno tamen Sanhedrio jus erat victos capiendi patriæ legis violatores, eoſque cæterorum in Religionem criminum, quos captos judicabant, damnabant, puniendoſque ultimo ſupplicio, ſi culpa expoſceret, Romano Præſidi tradebant. Si vero morte dignos non deprehendebant, ipſi in carcerem conjiciebant, fuſtibus dolabant, & citra necem cruciabant.

(*b*) S Auguſtinus lib. de Gratia, & Libero arbitrio ſic de Paulo loquitur: ut autem de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, Gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala. Et lib. de Spiritu & littera: Gratia revera in illo evidentior, & clarior apparuit, qui cum talia operaretur vehementer Eccleſiam Dei perſequens, pro quibus ſummo ſupplicio dignus fuit, miſericordiam pro damnatione ſuſcepit, & pro pœna conſecutus eſt gratiam.

& cor diſponit, tum inchoato amore rem proſequitur, quam charitate demum abſolvit. At hic uno veluti impetu Saulum aggreſſa eſt, ac vicit, ſimulque menti lumen plane Divinum infudit, corque potenti impulſu ita traxit, ut in alterum plane hominem mutaverit.

XIV.

Petrus cum toto perſecutionis tempore Hieroſolymis manſiſſet, pace tandem Eccleſiæ reddita ſtatim ex urbe exiit, Fideles, quos tenero proſequebatur affectu, inviſurus. Lyddam [a] primum, deinde Joppem [b] profectus eſt. Dum in hac urbe moraretur, accidit, ut cum ad menſam pranſurus accederet, repente extra ſe raptus, vas ingens omni animantium mundorum, atque immundorum genere refertum e Cœlo demitti conſpiceret. Dum ſecum ipſe animo cogitabat quidnam tantarum rerum portenderent ambages, ter iſthæc e Cœlo data eſt vox: *Macta, & manduca*, ſimulque tres advenere nuncii Cornelii Romani Centurionis nomine, Cæſaream ut adiret, rogantes. Tunc plane intellexit Petrus non Judæis ſolum, ſed & Ethnicis ipſis Evangelicæ fidei lucem ſibi eſſe inferendam. Igitur poſtera die, ut mandata conficeret, Cæſaream perrexit. Ipſi adventanti obviam factus Centu-

(a) Lydde virum quemdam Æneam nomine octavo jam anno Paralyſi laborantem in priſtinam ſanitatem reſtituit.

[b] Joppe Tabitam Religioſam Feminam a mortuis excitavit.

Centurio ſtatim ad illius pedes ſe projecit, rogavitque, ut arcana Fidei myſteria ſibi patefaceret. Tanto animi ardore, tantaque vi de Chriſti Divinitate, ejuſque morte, & Reſurrectione ſermonem inſtituit, ut antequam dicendi finem faceret, non ille ſolum, ſed omnes etiam, qui aderant, repente vario linguarum ſono Divinas laudes, obſtupentibus ipſis ex circumciſione Fidelibus, celebraverint. Hunc omnium primum inter Ethnicos fuiſſe, qui Chriſtianam Religionem amplecteretur, aſſerimus [a]. Quamvis enim antea Hieroſolymis egreſſi Fideles in exteras regiones profecti fuerint, tamen nonniſi iis, qui ex circumciſione erant, Evangelium nunciarunt. *Nemini*, ait Lucas Act. 11, *locuti ſunt verbum, niſi ſolis Judæis*. Hinc cum Petrus, ejuſque focii Cornelium, cœteroſque Spiritu Sancto afflatos conſpexerunt, admirati invicem ſciſcitabantur, *Si & in nationes Gratia Spiritus Sancti effuſa eſt*. Atque Petrum Hieroſolymam reducem interrogarunt Fratres: *quare introiſti ad viros præputium habentes*.

XV.

[a] Uſuardus & alii ex Latinis Cornelium hunc inter Sanctos & Epiſcopos Cæſareæ in Palæſtina cooptant. Græci recentiores alii Epiſcopum Illii, alii Scepſis, quæ duæ Urbes parum diſtant, fuiſſe tradunt. Feſtum hujus, addito Martyris titulo, in Menologiis ad diem XIII. Septembris conſignatur, apud Latinos vero ad diem II. Februarii.

XV.

Quamvis nonnulli Cornelium tunc ſolum juſtitiam conſecutum fuiſſe exiſtimaverint, cum in ea a Petro habita oratione Spiritus Sanctus in illum delapſus eſt, tamen nos, & antequam Angelus ad eum accederet, & ante ipſum Petri adventum juſtum fuiſſe aſſerere minime dubitamus. Et ſane Cornelium antequam illa Angeli viſione donatus fuiſſet, ſupernaturali fide Deum coluiſſe in dubium revocari nullo modo poteſt (*a*). *Orationes* enim illius, & *eleemoſinæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*, atque Angeli viſionem obtinuerunt jubentis, ut mitteret in Joppem Simonem arceſſitum, qui quid ſibi faciendum foret, imponeret. Vulgata eſt autem illa Apoſtoli ſententia: *ſine Fide Deo placere impoſſibile eſt* [*b*] Cæterum jure meritoque tradit S. Thomas [*c*] Cornelium *implicita* fide crediſiſſe Supremum libertatis aſſertorem Meſſiam aliquando venturum, ſirmumque illi fuiſse voluntatis propoſitum & implendi quæcumque ſibi Dei juſsu mandari

(*a*) *Orationes tuæ, & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppem, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus .... Hic dicet tibi quid te oporteat facere.*

(*b*) Hebr. cap. 11. ver. 6.

(*c*) 2. 2. quæſt. 10. art. 3.

ri intellexiſſet, & credendi quæcumque Divina revelatione noviſſet. Hæc igitur fides, hoc voluntatis propoſitum cum bonorum operum acceſſione juſtificationis gratiam Cornelio promeruerunt. At quamvis ipſe apud Deum juſtus fuiſſet, tamen ſuprema ejus juſtitiæ manus erat admovenda, expreſſa ſcilicet in Chriſtum fide, & baptiſmo, ut reliquo Eccleſiæ ædificio conjungeretur. Nam, ut egregie Auguſtinus [a], licet optata impetraverit Cornelius, licet Eleemoſinis gratum ſe Deo præbuerit, Spiritu Sancto perfuſus fuerit, hæc tamen omnia ſi baptiſmum neglexiſſet, ad ſalutem illi minime fuiſſent profutura.

XVI.

Poſt primam perſecutionem, quæ a Saulo in Eccleſia fuerat concitata, altera ſubſecuta eſt. Agrippa Rex cognomento Hærodes hujus auctor. Erat Agrippa, ut ex Philone, ac Joſepho conſtat, Judaicarum legum ſtudioſiſſimus, ipſiſque Judæis apprime carus. Hic & ut avitas, patriaſque eorum leges tueretur, imprimiſque, ut ipſis, quorum voluntati penitus obſequebatur, gratiſſimum faceret, Chriſti Eccleſiam jam altas in dies radices agentem evertere ſtatuit. Ac cum ſecum ipſe animo

[a] Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 8.

animo cogitaret, ſi ipſa prius fundamenta radicitus evelleret, omnem deſuper molem conſtructam parvo dirutum iri negotio, Petrum ac Jacobum de medio tollere cogitavit. Ac primum a Jacobi nece rem crudeliter auſpicatus eſt [a]. Et quoniam de Jacobo mentionem fecimus, non abs re judicamus hic inquirere, num antea ipſe in Hiſpanias profectus fuerit, eoque Evangelicæ fidei lucem intulerit. Sane ſi Hiſpanos (b) audiamus nihil eſt, quod de hac re dubitemus. Omnes enim illum Regionis ſuæ Apoſtolum fuiſse affirmant. At ſi rationum momenta, quæ ad hujus rei probationem in medium afferunt, perpendamus, ea vel nullius ponderis eſse, vel ita levia, ut nihil ex iis concludi poſſit, facili negotio deprehendemus [c]. Quare nos illum in Hiſpanias nunquam profectum fuiſse aſserere minime dubitamus.

XVII.

(a) Menologium Baſilii Martyrium Jacobi Cæſareæ conſtituit, ſed vero propius reputamus Hieroſolymis obiiſſe, ubi Agrippa Feſtum Paſchatis egit.

(b) Bartholomæus Laurentius, Franciſcus a Jeſu Carmelita, Gaſpar Sanctius Jeſuita, aliique ſcriptis libris regionis ſuæ traditionem aſſeruerunt, quam convellere Baronius Not. in Martyr. Rom. Natalis Alex. tom. 4. hiſt. Eccl. & Tillemontius Note 6. ſur S. Jacque le Majeur adniſi ſunt.

(c) Rodericus Ximenius doctiſſimus Archiepiſcopus Toletanus in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. adverſus Archiepiſcopum Compoſtellanum contendit, nullo argumento probari, Jacobum in Hiſpanias unquam veniſſe. Subjecitque ſe id nunquam legiſſe, ſed tantum a religioſis quibuſdam fœminis accepiſſe, cum junior eſſet.

XVII.

Jacobo interempto cum necem eam Judæis pergratam fuiſse intellexiſset Agrippa, Petrum ſtatim comprehendi, ac in carcerem conjici juſſit [*a*], gratum populo ſpectaculum poſt exactam Paſchalium dierum ſolemnitatem ejus pariter nece exhibiturus. Hujus rei cauſa maximo afficiebantur dolore Fideles, ac diu noctuque Deum enixe precabantur, ut tantum malum averteret. Jamque aderat optata Agrippæ dies, cum præeunte nocte Angelus carcerem ingreſsus, Petrum inter duos milites dormientem, ferreiſque catenis devinctum [*b*] e ſomno excitans, ſtare juſſit. Dicto citius diſrumpuntur catenæ, patent januæ, liber, ſolutuſque e carcere egreditur, Regiſque ſimul, ac totius populi expectationem deludit. Has Petri catenas ſumma ſemper Religione venerata eſt Eccleſia (*c*). Quod autem traditur alteram ex-

(*a*) Tradidit illum cuſtodiæ ſexdecim millium, e quibus quaterni viciſſim excubias agebant. Duo ſemper ex illis aderant lateri, gemini ſtabant præ foribus carceris.

(*b*) Duabus catenis vinciebatur, ut effugium plane nullum illi eſſet. S. Joan. Chryſoſt. homil. 9. in Matth. putat geminos cuſtodes devinctos fuiſſe eadem catena, quemadmodum apud Romanos uſu obtinebat, ut legere eſt apud Senec. epiſt. 5., & lib. de tranquill. vitæ.

(*c*) S. Auguſtinus Serm. 105. tradit horum vinculorum ferrum auro pretioſius in Eccleſiis Jeſu Chriſti haberi; tantoque obſequio erga illa tenebatur S. Joan. Chryſoſt. ut longum obire iter ad ea inviſenda optaret. Homil. 8. in Epheſ. Mos obtinebat mittendi eraſum e catenis Petri & Pauli pulverem in cru-

Digitized by Google

ex his dono datam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Petro ſacræ ab Eudoxia Theodoſii Junioris uxore, quæ anno 439. Hieroſolymis fuerat; alteram miſſam Romam ad Eudoxiam Filiam Valentiniano III nuptam (a) argumentis ſatis firmis non inniti cum Tillemontio [b] aſſerimus.

XVIII.

Poſtquam Petrus ab Herodiano carcere Angeli ope eductus, ac in priſtinam libertatem fuit reſtitutus, quo poſtea perrexerit, incertum eſt. Nonnulli haud ita multo poſt illum Romam profectum fuiſse, opinantur. Nos hoc unum ſolummodo propugnamus, illum ſcilicet Romæ fuiſſe, Romanam Eccleſiam erexiſſe, ac ad mortem uſque illi præfuiſse. Et ſane peterquamquod id ex illius prima Epiſtola, ubi nomine Babylonis Romam voluit ſignificare (c) non obſcure eruitur, hoc ipſum etiam ex unanimi, & conſtanti Patrum omnium tam Græcorum quam Latinorum conſenſu, qui jam inde ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ floruerunt, apertiſſime con-

ſtat

crucibus, vel clavibus aureis repoſitum. S.Gregorius Magnus nonnihil ex hoc pulvere mittens ad Regem Childebertum prodigia ſimul, quæ per pulverem illum Deus edebat, commemorat.

(a) Ferunt catenam hanc collatam cum illa, qua vinctus ſub Nerone in Mamertino carcere detentus fuit, divino miraculo conjunctam fuiſſe.

[b] Note 46. ſur Saint Pierre.

(c) Ita tradit Papias, S. Hieronymus de Viris Illuſt., Beda in 1. Epiſt. Petri cap. 5.

ſtat (*a*]. Præterea vetuſtiſſima plura monumenta, quæ adhuc Romæ extant, Petrum illic fuiſse teſtantur. Teſtatur ejus Sepulcrum, teſtatur Martyrii locus, teſtatur denique Templum ejus nomini erectum, quæ quidem omnia jam a primis Eccleſiæ ſæculis Romæ oſtendebantur. Quapropter nullus unquam uſque ad Sæculum XVI fuit, qui de hac re vel tantillum quidem dubitaverit. Ab eo demum tempore extitere Heterodoxi, qui veterum Hæreticorum, & Schismaticorum audaciam, atque impudentiam ſupergreſſi, Petrum nunquam Romæ fuiſse tradiderunt [*b*].

XIX.

Cum fames ab Agabo prædicta in Judęa magis, quam in cęteris orbis Romani partibus deſæviret, Antiochiæ Fideles, ut Fratribus, qui jam in ſummam rerum omnium inopiam devenerant, opitularentur, collectas ad eam rem eleemoſinas Saulo, & Barnabæ tradiderunt in Judæam deferendas. Ipſi demandatam ſibi provinciam alacri animo ſuſcipientes Hieroſolymam profecti ſunt

piaſque

[*a*] Irenæus lib. 3. cap. 1. Athan. in Apolog. de ſua fuga §. 18. Orige. in Gen. Tertul. de Præſcrip. Hæret. cap. 32., & de baptiſmo cap. 4. Cypria: epiſt. 55. ad Cornelium. Ambroſ. lib, 3. de Sacramentis cap. 1. Opta. Miley. lib. 2, cap. 2. aliique;

(*b*) Errorem hunc, qui cineribus obſitus deliteſcebat, poſtremis hiſce temporibus excitavit P. Arduinus; quem diſerte refellit doctiſſimus Epiſcopus Sueſſionenſis Franciſcus de Fitzjames in ſua celebri Paſtorali Inſtructione adverſus Arduini, ac Berruyerii errores edita.

piaſque Fidelium largitiones *Seniorum* fidei commiſerunt. Cum Antiochiam poſtea reverſi eſſent, Spiritus Sanctus Simoni, cui Nigro cognomen, Lucio, & Manahen [erant enim hi Epiſcopali dignitate inſigniti] præcepit, ut Saulum, & Barnabam in opus, ad quod eos aſſumpſerat, ſegregarent. Hi impetrata prius jejunio, & oratione gratia initiandis, ut miniſterii ſui muneri digne, ſanctèque vacarent, manus eis impoſuerunt, & in Apoſtolos, atque adeo in Epiſcopos conſecrarunt. *Quid eſt*, ait S. Joannes Chryſoſtomus de Saulo loquens hom. 27. in Acta, *ſegregate mihi in opus? in Apoſtolatum. Vide iterum a quibus ordinatur. A Lucio Cirenæo, & Manahen, imo a Spiritu. Quanto enim perſonæ humiliores erant, tanto purior Dei apparet gratia. Ordinatur jam in Apoſtolatum, ut cum poteſtate prædicet* [*a*].

C XX.

[*a*] Cajetanus, Arias, aliique arbitrati ſunt non initiandi ritum proprie hic deſcribi, ſed deſtinationem, vel miſſionem ad evangelium Gentibus nunciandum.

S. Leo epiſt. 11. tradit Paulum, & Barnabam vix ſegregatos juſſu Spiritus Sancti confeſtim Hieroſolymam profectos ab Apoſtolis manuum impoſitione initiatos.

Arator initio lib. 2. Hiſt. Apoſt. Petrum manus Paulo impoſuiſſe tradit. Sed iſta huic loco aperte repugnare videntur.

XX.

Hac ipſis poteſtate delata Seleuciam primum, Syriæ Urbem, deinde Cyprum ſe contulerunt. Cumque Paphum perveniſſent, ibi conciones habere, inaudita, ac plane nova patefacere cœperunt. Vagatur jam per urbem rumor. Sergius Paulus Inſulæ Proconſul ad ejus rei famam accerſiri concionantes jubet. Erat in Proconſulis aula Elymas homo callidus, atque ad fraudem acutus, principemque in ea locum tenebat. Hic aulicorum morem ſecutus, qui aliena ruina ſe extollunt, verborum lenociniis, ſubdoliſque artibus Sergii pronum in Apoſtolos animum avertere conabatur. At fruſtra. Saulus enim dolum detexit, hominis temeritatem increpavit, ac cœcitate ad tempus in ſceleris pœnam mulctavit [a]. Eo prodigio perterritus Proconſul ſtatim manus dedit, Chriſtianamque Religionem amplexus eſt. Cum Lucas hic ſolummodo Apoſtolum Pauli nomine appellare incipiat, nonnulli arbitrati ſunt id nominis illum

[a) Baronius ad an. 46., Sanctius, Fromundus putant hunc vel in crimine perſeveraſſe, vel brevi ad priſtina ſtudia rediiſſe. At Origenes & S. Joan, Chry. illum ad bonam frugem rediiſſe memorant. Profecto non temporaria cæcitate puniendus videbatur, ſi nunquam mentis oculos ad fidem erat reſeraturus.

lum ex eo ſumpſiſſe, quod Sergium Paulum ad fidem converterit: tanti nimirum mementi rem illam exiſtimaſſe, ut perpetuam ejus memoriam, retento viri nomine ſervandam duxerit [*a*]. At nos eorum opinionem amplectimur, qui, & Sauli, & Pauli nomine, ex more apud Judæos plures recepto, qui Syriaco, vel *He*braico nomini Græcum alterum, vel Græco Latinum aliud addebant, ab initio vocatum fuiſſe Paulum tradunt (*b*); primo uſum dum inter Judæos verſaretur, altero, quod Romanum eſt, appellari voluiſſe poſt ſuſceptum ad Gentiles Apoſtolatum [*c*].

XXI.

Quidam ex Judæis Hieroſolymæ degentes cum Ethnicos a Paulo, & Barnaba ad Chriſti fidem adductos, circumciſionem, alioſque Moſaicæ legis ritus negligere intellexiſsent, Antiochiam profecti ſunt, ibique in vulgus edere cæperunt, nullam ſalutis ſpem jam ſupereſse iis, qui circumciſione non initiarentur, nec Legalia ſervarent [*d*]. Perniciosis doctrinis Paulo & Barnaba forti-

[*a*] S. Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Philem. pag. 212. Beda retra. in Acta.

[*b*] Origenes Præfat in epiſt. ad Romanos. Auguſtinus ſerm. 315. cap. 5.

(*c*) S. Joan. Chryſoſt. homil. 28. in Acta opinatur mutatum ab illo nomen fuiſſe, cum Antiochiæ conſecraretur.

(*d*). Ex Cerinthi ſecta dogmata illa derivata fuiſſe S. Epiph, hær. 28., & Philaſtrius de hær. cap. 36. putant.

ter reſiſtentibus, Apoſtolos, Senioreſque Hieroſolymitanos de oborta controverſia conſulere viſum fuit. Miſſi igitur ad Urbem Paulus, & Barnabas omnia ad illos detulerunt. Nonnulli ex Phariſæorum ſecta Fideles, paternis adhuc legibus, avitiſque nimium addicti traditionibus, Legalium obſervantiam Ethnicis injungendam cenſebant. At Apoſtoli [*a*] diſceptata prius in utramque partem quęſtione, tandem nullum aliud onus illis imponendum eſſe ſtatuerunt, quam ut ſe ab *immolatis Simulacrorum, & Fornicatione, a Suffocatis, & ſanguine abſtinerent*. Judas cognomento Barſabas, & Silas viri inter Fideles ſpectatiſſimi electi fuerunt, qui una cum Paulo, & Barnaba Antiochiam cum mandatis Concilii proficiſcerentur. Eo cum veniſſent, ac Epiſtolam tradidiſſent, maximo fratres gaudio perfuderunt (*b*). Legem hanc de Suffocatis & Sanguine ad tempus latam ab Apoſtolis fuiſſe, nec Chriſtianos ea teneri

aſſerimus

[*a*] S. Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. pag. 512. exiſtimavit Apoſtolos omnes huic Concilio interfuiſſe. Alii nullum præter Petrum, Jacobum, Joannem, Paulum & Barnabam. Horum tantummodo meminit hic Lucas.

[*b*] Paulus ad Galatas ſcribens addit, ejuſdem Concilii decreto ſibi & Barnabæ Gentium, Petro autem Jacobo & Joanni Judæorum curam fuiſſe demandatam.

aſſerimus. Eo enim duntaxat fine lata eſt, ut Judæi, qui a ſanguine, & a carnibus ſuffocatorum abhorrebant, facilius in unam Eccleſiæ ſocietatem cum Gentibus, quæ illis utebantur, convenirent. Aperte enim Paulus cap: 10 ad Corinth. tradit, legem de immolatis ſimulacrorum obligare tantum propter aliorum conſcientiam, non propriam, videlicet ne aliis actione eadem ſcandalo, & offendiculo ſimus. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conſcientiam: conſcientiam autem dico, non tuam ſed alterius.* Fatemur tamen vel provecta jam Eccleſiæ ætate eam legem ſervatam fuiſſe, & alibi ſerius, alibi ocyus abrogatam.

XXII.

Concilio dimiſſo haud ita multo poſt Antiochiam Petrus ſe contulit. Ibi cum Ethnicis ad Chriſti Fidem converſis nullo jam habito mundorum, atque immundorum ciborum diſcrimine manducabat. At cum nonnulli ex circumciſione Hieroſolymis eo veniſſent, veritus ne promiſcuus ciborum uſus apud eos aliquid offenſionis haberet, ab Ethnicorum menſa, & hoſpitio ſe ſtatim ſubduxit Quo

ſiebat, ut ſuſpicionem in eorumdem mentibus de legis neceſſitate injiceret, ac quod prius ædificaverat, quodammodo everteret. Hanc Petri ſimulationem, quæ pernicioſo cæteris exemplo futura videbatur, Paulus reprehendit [a]. Utrum vero ex animo, an ſimulate id fecerit, ſumma animorum contentione Hieronymum inter, & Auguſtinum diſceptatum fuit. Hic ſerio, & ex animo, ille ſimulate, & conſulto reprehenſum a Paulo Petrum contendebat. Nos Auguſtini ſententiam aſſerentis ſimulatam non fuiſſe reprehenſionem, ſed veram, atque ex animo factam propugnamus. Et re quidem vera Paulus in Epiſt. ad Galatas ſcribit Petrum *reprehenſibilem fuiſſe*, aſſeritque eum non *recte ad veritatem Evangelii ambulaſſe*, ac capite primo Epiſtolæ teſtatur vera eſſe, quæ in illa continentur: *quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. At virum ſanctiſſimum in rebus ſumma veneratione dignis dictis ludere maxime dedecet, quoties in aliquem certa culpa obnoxium animadvertit; eoque magis ſi reprehenſionem in Epiſtola altiſſimis veritatibus referta ſerio recenſeat.

XXIII.

(a) Cum autem inquit ad Galatas cap. 2. veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex Circumciſione erant..... ſed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaice, quomodo Gentes cogis judaizare

XXIII.

Antiochia digreſſus Paulus Pergen, Iconium, Derbem, Lyſtram, aliaſque urbes peragravit, ut Fideles, quos antea una cum Barnaba iis in regionibus ad Chriſtianam Religionem perduxerat, inviſeret, ac in ſuſcepta fide magis, magiſque confirmaret. Cum autem in Aſiam, & Bythiniam iter meditaretur, a Spiritu Sancto monitus ne eas in regiones Evangelii lucem inferret, ſtatim a ſententia deſtitit, Troademque contendit. Ecce interim ibi in ſomnis ſeſe illi obtulit vir Macedo, illumque rogavit, ut in Macedoniam tranſiret. Hinc nulla interpoſita mora illuc iter direxit. Navem igitur una cum Sila [a], & Timotheo [b], quos peregrinationis ſocios ſibi adjunxerat, conſcendens, primo Neapolim Macedoniæ urbem non longe a Thraciæ finibus ſitam, appulit; Inde Philippos Romanorum Coloniam [c] pervenit. Cum forte die Sabbati in Judæorum Profeucam ad amnis ripam conſtitutam conveniſſet,

(a) Barnabas ob quandam obortam diſſenſionem a Paulo diſceſſerat. Optabat enim ille ſecum itineris ſocium adſciſcere Joannem Marcum Conſobrinum ſuum. At Paulus cognita Marci inconſtantia nolebat. Hinc alter ab altero diſceſſit.

(b) Timotheum Lyſtris ad Chriſti fidem adduxit, & Circumciſione initiavit, ut Judæis anſam omnem auferret ſe ab eo removendi, ejuſque conſuetudinem, ac prædicationem fugiendi.

(c) Erant Philippi prima Romanorum colonia, quæ a Thracia in Macedoniam venientibus occurreret, non prima Urbs Macedoniæ, ut perperam nonnulli putarunt.

Digitized by Google

2c2

Lydiam quandam *purpurariam* ad Chriſtum adduxit, baptiſmoque initiavit. *Spiritum* inſuper *Pythonem*, ſeu Dæmonem in quadam puella, quam obſidebat, divinationis auctorem ejecit. Quo facto videntes Domini ſpem omnem quæſtus abiiſſe, [maximum enim ex illius Ancillæ divinationibus faciebant] Paulum & Silam in forum pertraxerunt, tantumque clamoribus ſuis apud Prætores effecerunt, ut virgis [*a*] uterque ad ſanguinem cæderetur, & in carcerem conjiceretur. At mediæ noctis ſilentio adeo terræ ingens excitatus fuit motus, ut undique a fundamentis carcer concuteretur. Fragore, ſtrepituque e ſomno excitatus cuſtos, dum oſtium patefactum conſpexit, vim carceri illatam, captivoſque aufugiſſe ratus, ira, ac dolore incenſus ſe ipſum erat interempturus. Poſtquam vero cunctos adeſſe, neminem exiiſſe, animadvertit; miraculo rei obſtupefactus ad eorum pedes ſe projecit, ac cum univerſa familia ea ipſa nocte baptiſmate ablutus fuit. Ubi primum dies illuxit, reſque ad Magiſtratuum aures pervenit, eorum dimiſſionem ſtatim per Lictores imperarunt. At cum Paulus conquereretur, ſe Romanum civem publice cęſum, & indicta cauſa in cuſtodia habitum, noluit exire, niſi Magiſtratus ipſi ſuam pœniten-

[*a*] Judæi novem & triginta ictus non excedebant; ſed hanc legem Romani minime ſervabant, qui reos pro judicis arbitrio cædebant.

pœnitentiam ea de re teſtarentur, eorumque innocentiam rite promulgarent. Nonnulli Paulum civem Romanum fuiſſe ex eo putant, quod Tharſus, unde originem trahebat, Coloniæ Romanæ titulum ob egregiam fidem in Julium Cæſarem meruerit [a]. At nobis eorum magis arridet opinio, qui Patrem, vel Avum Apoſtoli jus hoc ad augendam familiæ ſuæ nobilitatem ſibi, ſuiſque ſoluto pretio emiſſe tradunt. Sane nullum in nummis tituli Coloniæ Romanæ Tharſo collati ante Caracallam, & Haliogabalum veſtigium apparet [b]; aliaque ex parte jus illud pretio emi conſueviſſe conſtat [c].

XXIV.

Ventum inde Theſſalonicam, ubi a Judæis adeo pernicioſa in Paulum, ejuſque comites excitata ſeditio fuit, ut fuga periculum evitare cogerentur. Cumque Beræam propinquum opidum confugiſſent, hoſtium, qui eo ſtatim decurrerant, impetum ſuſtinuerunt, nec eorum furorem antea evadere potuerunt, quam Athenas ſe reciperent. Florebat tunc

[a] Dio, Chryſoſt. orat. 34. Spanh. antiq. Grotius ad Act. 22. lib. 9. de præſtan. & uſu numiſm. (c) Cap. 22. Act. ver. 28.
[b] Cellar. lib. 3. cap. 6. Georg.

Digitized by Google

tunc maxime præ cæteris Urbs hæc & ſcientiarium gloria, & litterarum honore, famamque illam, quam olim ſibi pepererat bellica civium virtute, rebusque terra, marique ſtrenue geſtis, longe ſuperabat. At Idololatriæ (*a*), & ſuperſtitionis caligine adhuc obcœcata, non ſolum Deos omnes venerabatur, qui apud alias orbis nationes ſummo in honore habebantur, ſed etiam Aram *ignoto Deo* ſacraverat. Apoſtolus ſtatim in eo totus fuit, ut perniciofos hos errores evelleret, pravas eorum mentes converteret, voluntateſque immutaret. Perdifficilem ſane provinciam ſuſceperat. Qui enim fieri poterat, ut ipſi toto orbe celeberrimi, a quibus & Romani publica legatione leges acceperant, barbari hominis, Judæi nempe conſiliis parerent? At non cecidit animo Paulus. Sabbatis in Synagogis cum Judæis, quotidie in foro cum obviis quibuslibet, cum Epicureis quoque & Stoicis Philoſophis de Chriſto, de mortuorum reſurrectione diſputavit. In medium Areopagum raptus, ut doctrinæ, quam tradebat, rationem redderet, & ea, quæ meditabatur, judices edoceret, ibi tum ex *Ara ignoto Deo dicata*, tum ex Arati Poetæ [*b*] teſtimonio Dei progeniem

(*a*) Tradit Pauſanias, & deinde S. Gregorius Nazianzenus orat. funeb. S. Baſilii, plus Idolorum Athenis collectum, quam in reliqua Græcia ſparſum fuiſſe.

(*b*) Hæc ſunt Arati verba. A Jove ſumendum eſt initium, quem nefas eſt prætetire. Plena vero Jovis ſunt omnia compita, ac vici, plena

geniem nos eſſe confirmante, eumdem, quem ipſi ignorantes colebant, Deum a ſe nunciari oſtendit. Fuere ex iis, qui Paulo crediderunt, Dionyſius Areopagita [a], & mulier quædam nomine Damaris [b]. Et quod ad Athenienſis aræ inſcriptionem attinet, S. Hieronymus eam non ignoto Deo, *ſed Diis Aſiæ, Europæ, & Lybiæ, Diis ignotis, & peregrinis inſcriptam fuiſſe tradit. Nos &* Aram hanc *ignoti Dei* Epigraphe inſcriptam, & aliam cum titulo, quem S. Hieronymus refert, extitiſſe, probabile admodum exiſtimamus. Et re quidem vera apud Lucianum, ſeu alium Scriptorem Dialogi Philopatris Ethnicus homo per ignotum Deum Athenis, non per ignotos jurat. Contra vero Philoſtratus in vita Apollonii Tyanenſis Athenis aras ignotis Diis fuiſſe conſtitutas memorat.

XXV.

---

na hominum fora, plenum mare, portus: omnes denique Jove pleni ſumus; Lucanus paria ferme docuit, Pharſ. lib. 9.

Jupiter eſt quodcumque vides, quodcumque moveris.

(a) Dionyſium hunc Athenienſis Eccleſiæ primum Epiſcopum fuiſſe tradit alter quidam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus antiquiſſimus ſcriptor apud Euſebium lib. 3 Hiſt. Eccl. Martyrologium Romanum die ix. Octob. a Paulo Apoſtolo Epiſcopum ordinatum dicit; quod eſt etiam in Marty. Adonis die III. ejuſdem Menſis pag. 890. tom: 16. Bibl. Patrum.

(b) Damaris Dionyſii uxor dicitur a Chryſoſtomo lib. 4. de Sacerdotio cap. 7. Aſterio homil. 8. in Principes Apoſtolorum Bibl. Patrum tom. 5. aliiſque apud Baronium ad an. 52. §. 12.

Digitized by Google

XXV.

Cum Miletum appuliſſet Paulus, per nuncios ſtatim Epheſum miſſos, primores, *majoreſque natu* illius *Eccleſiæ* ad ſe vocavit (*a*). Quibus, cum omnes conveniſſent, primum ob oculos poſuit, quam apud eos toto eo tempore, quo Epheſi verſatus eſt, vitam degerit, quot labores exantlaverit, quot vexationes a Judæis pertulerit. Significavit inſuper ſe Hieroſolymam tendere futuri eventus incertum, ſcire tamen plurima ſibi in ea urbe imminere, ut a Spiritu Sancto præmonitus fuerat: ſed nihil eorum vereri, mortiſque diſcrimen alacri animo ſubiturum, dummodo vitæ ſuæ curriculum rite conficeret, ac munere ſibi impoſito perſungeretur. Ad hæc præcepit, ut commiſſi ſibi gregis curam ſuſtinerent, Dei gloriæ unice inſervirent, animumque ab omni lucri cupiditate alienum ſervarent. Noverat enim ipſe quot mala in Eccleſiam importarent ii, qui avaritiæ tabo inficerentur. Tandem eos monuit, ut illud animo ſibi inſculperent, ſe nempe Eccleſiæ regimini a Spiritu Sancto fuiſſe præfectos. *Attendite vobis*, inquit, & *univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, *quam acquiſivit ſanguine*

(*a*) S. Irenæus lib 3. cap. 14. S. Joannes Chryſoſtomus homil. 44. tradunt acciviſſe illum Epiſcopos, & Præsbyteros non Epheſi modo, ſed & vicinarum Eccleſiarum,

guine ſuo. Atque hæc verba, quibus Epheſios allocutus eſt, invicte demonſtrant, Epiſcopos utpote Apoſtolorum ſucceſsores, ***immediate*** a Chriſto ſuam juriſdictionem accipere. Præterquam quod enim id ex ipſo verborum contextu perſpicuum eſt, clarius etiam efficitur ex aliis N. T. locis, quæ eorumdem verborum ſenſum mire colluſtrant. Huc accedit univerſalis, ac perpetua Eccleſiæ Patrum traditio, quæ Scripturæ verba de Epiſcoporum auctoritate immediate a Chriſto accepta, diſertiſſime interpretantur. Quare doctiſſimus Meldenſium Epiſcopus Boſsuetius in ſua Defenſ. Declar. Cleri Gallicani Part. III lib. VIII cap. XI. ſententiam oppoſitam, jure optimo appellat *Commentum priſcis ſæculis inauditum, quodque XIII. ſæculo invehi cœpit in Theologiam, poſtquam ſcilicet Philoſophicis ratiocinationibus, iiſque peſſimis, agere, quam Patres conſulere plerumque maluerunt*. Juriſdictio ergo Epiſcoporum fluit immediate a Chriſto.

XXVI.

XXVI.

Inito a Feſto (*a*) & Agrippa (*b*) conſilio mittendi Paulum Romam, quoniam ipſe *Cæſarem appellaverat*, navi Adramyttenæ Aſiam petenti cum quibuſdam aliis ſub Julii Centurionis Cohortis Auguſtæ cuſtodia impoſitus ſuit. Cum Cyliciæ, & Pamphiliæ latum, periculoſumque mare trajeciſsent, tandem Lyſtras in Licia appulerunt. Ex eo portu navim, quæ Italiam tendebat conſcendentes, vix adverſo vento *Bonos-portus* in Cretæ Inſula tenuerunt. Perdifficilis jam navigatio eſſe incipiebat [*c*], ac propterea Paulus futurorum præſcius, ut ibi manerent, eos hortatus eſt. Sed cum portus ille minus aptus videretur, in alio potius Phænice dicto, hyemare decreverunt. Navem igitur ſolverunt, ac vela ventis dederunt [*d*]. Notus illis belle flabat, cum repente Aquilo Euro permixtus magna vi exſurgens mare miſcere:

(*a*) Feſtus ut Judæis gratum faceret, Paulo, qui Ceſareæ in cuſtodia detinebatur, propoſuerat, an Hieroſolymam deduci vellet, ibique ab eo judicari. Ille minime ignorans Judæos ſibi in itinere necem moliri, ad Cæſaris Tribunal appellavit. Tunc Feſtus: *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*.

(*b*) Agrippa cognita Pauli integritate, atque innocentia illum in priſtinam libertatem reſtituendum fore cenſebat. At poſtquam eum Cæſarem appellaſſe audivit, ad Cæſarem mittendum putavit.

(*c*) *Præterierat*, ait Lucas, *jejunium* ſcilicet illud ſolemne expiationis menſis ſeptimi die decima a Judæis quotannis celebrare ſolitum.

(*d*) Hoc in itinere ſocios habuit Timotheum, Lucam, & Ariſtarcum Macedonem Theſſalonicenſem.

re miſcere, ac undique fluctibus perturbatis navim jactare. Increbreſcit procella, denſus per plures dies, plureſque noctes Cœlum operit nimbus, non noctu ſidera, non ſol interdiu navigantibus eſt. Triſtitia, dolor, deſperatio omnium vultus occupat. Paulus ab Angelo admonitus certiſſima vitæ ſpe eos ſolatur, affirmatque fore, ut ab imminenti periculo, navi perfracta, incolumes omnes in proximiorem inſulam evaderent. Quartadecima procelloſæ navigationis agebatur dies, cum terra tandem proſpici cæpta. Littori appropinquabant, at ventorum impetu in porrectum terræ promontorium navis defertur, ex quo factum eſt, ut in varias partes ſcinderetur. Ducenti ſexaginta ſex in ea erant; Singuli in eſtremo vitę diſcrimine extrema auſi, nando alii, alii tabulas arripiendo, proximam tandem inſulam, cui Melitæ nomen, nemine fluctibus demerſo, occuparunt. Quænam fuerit Melita hæc, an ea Adriatici maris Dalmatiæ adjacens *Meleda* vulgo dicta, an ea, quæ Siciliam inter, & Affricam ſita eſt, quæque inclyto, atque invicto Equitum Hieroſolymitanorum Ordini paret, & *Malta* nunc vocatur, adhuc ambigitur. Nos tamen probabiliorem illorum opinionem aſſerimus, qui hanc alteram fuiſſe putant [a]. Iter enim, quod e Melita

(a) Pro hac ſtat Cluverius lib. 2. Siciliæ Antiquæ cap. 16. Auguſtinus Calmet in Acta, & Proſp. Lambertinus inſtit. 47. § 2. Pro Melita Adriatici ſinus uberrime diſpu-

Ilta ſolventes temuerunt, ſatis demonſtrat de Affricana ſermonem haberi. Nam Syracuſas prius, deinde Rhegium, tandem Puteolos appulerunt. Præterea ventus *Euro - aquilo*, qui timorem illis injecerat ne in Affricanas Syrtes propellerentur, rapere illos debuit ad Melitam Affricanam potius, quam in Venetorum ſinum. Neque negotium faceſſit, quod Lucas in mari Adriatico navigaſse ſcribat. Maris enim Adriatici nomen non intra ſinum tantummodo Venetum a veteribus ætatis illius definiebatur; ſed ad mare Siculum & Jonium prorogabatur.

---

diſputatum nuper eſt ab eruditiſſimo viro Ignatio Georgio Benedictino e Congregatione Melitenſi Raguſina in libro, qui inſcribitur: *D. Paulus Apoſtolus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitæ Dalmatenſis Inſulæ poſt naufragium hoſpes.*

Diſputabuntur publice Venetiæ in Ædibus Epiſcopalibus Anno MDCCLXXXIII. Menſe Auguſti die VII.